



Index contentorum.

1. De balsamo Peruviano
2. de prudenti utrumque medicamentum exploratione.
3. de erroribus circa usum topicorum in praxi.
4. de natura & praesentia Vini Rhenani
5. de Bradypepsia
6. de purgantibus fortioribus ex praxi eiciendis
7. de anatomia publica.
8. de luxationum synthesi in genere.
9. de auditu difficili
10. Ulcerum aetologia & curatio
11. de purgantibus selectis & minus cognitis.
12. de specificis antispasmodicis.
13. de perpetuo ptillicidio ex thorace.
14. Pathologia diuinatur Helmontiani.
15. de morbis lienis
16. de affectu raro scorbutico pustulari.
17. annorum climateticorum rationalis explicatio.
18. de specificis antispasmodicis.
19. de bile medicina & veneno corporis.
20. de Carolinis thermis.
21. de temporibus anni insalubribus.
22. de temperamento fundamento morum & morborum,
23. de morbis certis regionibus & populis propriis.
24. crismus natura & explicatio rationalis.
25. de inflammatione ventriculi.
26. de siderum in corpora influxu.
27. de methodo vitam longam acquirendi. Wolffii epistola.
28. medicus sui ipsius.
29. de asthma conuulsivo cum hydrope pectoris
30. de anatomia in praxi medica usu. Xc. 33..

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

36.
38

METHODUM CURANDI PE- STEM,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA.

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
SUB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,
CONSILIARII & ARCHIATRI REGII, MEDIC.
ET PHIL. NATUR. PROF. PUBL. ORDINAR.
h. t. DECANI

Patroni & Promotoris sui æternum venerandi,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia legitime con-
sequendi,

Ad diem Octobr. MDCCVIII.

IN AUDITORIO MAJORI,
horis consuetis

Publico Eruditorum iudicio exponet

GUSTAVUS BENONI MYNSINGERUS,
Ulma-Suevus.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Litteris JOHANNIS GRÜNERI, Acad. Typogr.

ILLUSTRI,

QVI

IN INCLYTA AC SACRI ROMANI IMPERII LI-
BERA CIVITATE ULMENSI

AD CLAVUM REGIMINIS SEDET,

SENATUI:

VIRIS

*PEROQVAM GENEROSIS, MAGNI-
FICIS, MAXIME STRENUIS, NO-
BILISSIMIS, AMPLISSIMIS AT-
QVE PRUDENTISSIMIS*

PATRIÆ PATRIBUS

*GRAVISSIMIS LITERATORUM
MÆCENATIBUS,*

DOMINIS SUIS GRATIOSIS

QVALEM CUNQVE HUNC INGENII FŒTUM

DAT, DICAT, CONSECRAT

DEVOTISSIMUS CIVIS ET CLIENS

GUSTAVUS BENONI MYNSINGERUS:



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PESTE EJUSDEMQUE CURANDÆ
RATIONE.

PROE MIUM.



Estis ingenium naturamque proxima dissertatione, quæ sub moderatione Dn. Præfidis habita est, evidenter satis in conspectum datam arbitramur. In qua fusc admodum deductum fuit, consistere ejus naturam partim in subtilissimo putrido principio, partim in solo terrore, sæpe etiam utrumque ad conficiendum ægrum concurrere. Jamque operæ pretium nos facturos arbitramur, si paulo curatius demonstre-

A 2

mus,

mus, qua ratione duplices hæ causæ, quas modo posuimus, in corpora vim suam exerant, quomodo eadem lædant, in quænam maxime corpora exerceant regnum, & unde tam atrox tot symptomatum turba & ipsa mors consequatur. Hisce enim recte cognitæ facilis & expedita curationis ratio inde deducetur. DEUS vero supremus ille rerum humanarum moderator, cujus immensa potentia & adfligit genus mortalium ejusmodi pestiferis malis, eademque, quæ summa ejus indulgentia, depellit, labori huic clementissime adsit, ut & ex illo aliquod salutis hominum auxilium adferatur.

§. I.

AC de terrore quidem, cum in priorè dissertatione uberius dictum sit, paucis saltem meminisse juvat, hunc solum sæpe, cum pestis tempore perculit timidos homines, maxima pollere vi & pestem, atque ipsam mortem inferendi. Dum enim vehementissimo spasmo circuitum corporis constringit, depulsus inde sanguis summa cum vi ad interiora, maxime ad cor ruit, ibidemque facile syncopen, præcordiorum æstus epilepsiam inflammationem palpitationem cordis ceteraque mala excitat, quorum vehementia defatigatus æger paucos intra dies collabitur. At ampliore paulo explicationem desiderat modus, quo
fer-

fermentum illud putridum, quod pestem constituit, corpore depopulatur. Atque id ipsum quidem duplici omnino via in fabricam corporis nostri grassatur, siquidem vel in primis statim viis sævitiam suam ostendit, inque iisdem inflammationem excitando, funestum est, vel ex iis in sanguinem per venas lacteas & poros diffusum, totam humorum massam, qua serpit, putredine corrumpit, perniciosamque corpori machinatur. Cum enim pestilentialis aura iuvante aere, ore excepta, salivæ primum se admisceat, mox cum eadem ad ventriculum descendat, facile intelligi potest, in eo velut in parte delicatissimi mollissimique sensus primum furorem mali exurgere. Quare non imprudenter facere videntur, qui ut a contagio corpus defendant, subinde expuere jubent, commendantes eum in finem masticatoria, & ejusmodi res, quæ stimulo glandulas salivam movent, ut si quid contagii inhæsit, id statim cum saliva rejiciatur. Neque mirum verò, in ventriculo & intestinis illud miasma pestiferum malorum scenam instruere, cum ibi adfuso & succo pancreatico, & bile, maxime augeatur, & incrementum capiat. Quos humores dum in naturam suam trahit, motuque intestino corrumpit, virulentiorum vim induit, quod vel abunde symptomatum atrocitas testatur. Humores enim acres stagnantes dum arrodunt ventriculi tunicas, inflammationem ibi moliantur, veneni plane naturam æmulantes. Qui adfectus quam funestus, quantoque cum periculo junctus sit, satis superque docent omnia venena caustica ac acriora, quæ non alio modo necant, quam quod vehementissime constringendo ventriculi tunicas, inflammationem excitent, quod Cl. Wepfferus in lib. de cicuta aquatica, fuscæ eruditeque admodum persecutus est, variisque idem comprobavit experimentis. Inde est, quod Helmontius p. 887. & Diemerbroekius p. 272. in dissectorum ventriculo stigmata maculasque nigricantes se reperisse adfirmant. De qua quidem inflammatione ventriculi frequen-

quenti admodum sed parum cognito adfectu, fufius egit
D. Præfes in peculiari difsertatione, quam hoc de argumen-
to confignavit.

S. II.

Pestis autem vim in ventriculum, & ex ea conceptam
inflammationem, ipsa symptomata, quæ gravitate sua maxime
terrere debent, demonftrant. Summa certe præcordiorum
anxietas ardorque, calor internus, exteriorum frigus, inquietudo,
fitis, linguæ ariditas delirium, pulfus inæqualis languidusque
& parvus, imo naufea vomitus alvique profluvium,
quid aliud loquuntur, nifi præfentiam veneni pestiferi intra
tunicas ventriculi ferocientis? Quæ quidem fymptomata cum
admodum copiofe & erudito ingenio explicet *Cl. Fr. de la Boe Sylvius*
Præleos med. tr. 4. pag. 624. tum alii profeflores artis vel fcriptores,
qui graffante peste vixerunt, memoriæ prodiderunt. Antiquiffimus
fcriptor Thucydides de famofa illa peste, quam fpeciofe defcribit,
teftatur, quod qui correpti ea fuerint, ita exurerentur iis interiora,
ut ne subtiliffimi quidem vefimenti contactum tolerarent, quamvis
ipfum corpus, fi extrinsecus tangeres, non admodum caleret, cutis
vero exiguis puftulis efflorefceret. Inde etiam *Foreftus l. 6. obferv. 10.*
dilucide fcribit, eos qui Delpheni in peste periclitarentur,
ex humorum in corde virulentia (uti loquitur) fumma inquietudine
jactatos fuiffe, modo de latere in latus, modo in ventrem, modo
in dorsum volutatos, eodemque modo ad caput modo ad pedes fe
dejeciffe, furentis intra præcordia incendii impatientes. Neque
aliter Clariffimus Rivinus, qui in eleganti libello, quo pestem
Lipfienfem complexus est, liquido adfirmat, p. 6. in plerisque fere
præcordiorum fe obfervaffe anxietatem & cum hac internum æftum,
fitim nullo humore reftinguendam, linguæ ariditatem, inquietudinem,
jactationem spi-
ran-

randi difficultatem, artuum tremorem motus convulsivos vomitus, alvi fluxum hæmorrhagias periculosas, dolorem acerbum lumborum viriumque prostrationem. Kircherus de peste p. 28. hæc ejusdem symptomata commemorat, nempe cordis angorem, pectoris æstum, cibi fastidium, vomitus animi defectionem, tensionem præcordiorum, sitim, gutturis ardorem, halitus graveolentiam, linguæque scabritiem nigritiemque: Et de Brunsvicensi peste *Gieslerus obs. 13. 14. 15.* tradidit, plerumque eam cum nausea vomituque & alvi etiam fluxu incepisse. Quæ quidem omnia mala nihil aliud significant, quam spasmodicam ventriculi & præcordiorum contractionem earumque partium funestam inflammationem. Eadem ex re adparet, ferale pestis miasma ventriculum inprimis infestare, cujus summa ibidem vis maxime conspicua est & atrocitate symptomatum & necandi celeritate.

s. III.

Quodsi autem intacto ventriculo & intestinorum sinu per poros & vasa lactea in sanguinem transfunduntur corrupti intra primas vias ex putrido miasmate humores, pro varietate corporis varia identidem facie incedit contagium, modo clementius agens, modo ferocius & cum jacentis summo discrimine. Quippe cum in corpus debilius, fameque & adfectibus vel intemperantia & venere exhaustum incidit, vel si succis crudis impurisque turgens sanguis, segni cunctantique alveo progreditur, in lympham maxime & serum, quod hinc inde stagnat vim suam putrescibilem transfert. Inde extincta naturali lymphæ virtute, ipsum elasticum fluidum vitiatur, & a perniciali illo fetore, cordis musculus arteriarumque motus, qui ab illo in robur excitari debet, languescit, viribusque imminutis sanguis tardius movetur & putrescere incipit, quia imbellis natura, erepta omni vi, minus sufficit pesti-

pestifero fermento ad exteriora propellendo. Quod ubi accidit, sine singulari dolore ardoreque, adfecti deficient, omni vitali robore extincto & tota sanguinis humorumque massa in perniciosam putredinem commutata. Eandemque ad solida etiam jam penetrasse, inflatio partiumque marcor & livor indicant. Tali in casu pulsus naturali similis est uti Galenus lib. IV. de presagiis ex pulsibus bene observat, calor ac tactus mitis & blandus sudor & urina copiosa turbidaque, ut vix febricitare videantur.

§. IV.

At ubi contra viribus ac robore pollet natura, & sanguis libero & expedito itinere corpus pererrat, tunc putridum illud corruptumque virus, quod in sanguinem transmissum fuit, naturæ viribus ad corporis ambitum explicatur. Idque ipsum sub specie bubonum & carbuncolorum in summa cute sese representat, quo in casu meliora sperare licet, quippe de experientia notum, prodeuntes in peste bubones & id genus exanthemata, adeo non tristitia minari, ut iisdem erumpentibus infecti potius sæpissime futuræ morti eripiantur. Quod ipsum quidem quam salutare sit corpori, vel ex eo constat, quod hæc exanthemata, ubi adparere cœperunt, demonstrant, virulentum principium a sanguine expeditum quasi critico motu ad summam cutem depulsam fuisse. Eademque de causa post excretionem ejusmodi symptomata imminuuntur, cum manifesto argumento malignam materiam ad exteriora fecesisse. Sicuti id ipsum variolæ morbilli erysipelas & alia exanthemata confirmant, quæ ubi cutim subierunt, symptomatum furor ante eruptionem sævire solitus, statim conquiescit.

§. V.

§. V.

Bubones autem clementioris sunt naturæ, quam carbunculi aliique generis maculæ, quibus in peste cutis deformatur. Sunt vero nihil aliud bubones, quam glandularum inflammationes, junctæ cum tumore æstu gravique dolore, iidemque ea inprimis loca, per quæ feruntur glandulæ, occupare solent, unde circa collum mammæ inguina & sub axillis, ubi majores paulo glandulæ positæ sunt, maxime conspiciuntur. Inflammantur etiam in peste parotides, quæ tamen inflammatio bubonum nomine minus insignitur. Ac ipsas quidem glandulas corrupta pestifero miasmate materia ea de causâ maxime infestat, quoniam hæc ex subtilissimis tubulis membranisque nervæis exquisiti admodum sensus constant, unde acris caustica materia delata ad tubulos cum lympha, dum ibi stagnat, corrosione sua spasmus ac dolorem efficit. Inde contractis tubulis sanguis & lympha, intercluso exitu, ibidem desidet, mox ex humorum stasi partes intumescunt, donec stagnantes humores corrupti in abscessum resolvantur. Simili de causâ in erysipelate inguinales glandulæ cum ardore ac dolore intumescunt, quamvis in abscessum non eant, quoniam viscida acris lympha ad has partes delapta dolorem & ex eodem stagnationem excitat.

§. VI.

Salutem autem prænunciant bubones, si cum prodeunt, symptomata levantur, calor decrefeit, & corpori paulo ampliores vires, mentique erectior redit alacritas. Bonam idemtidem spem concipere oportet, si iidem maturefcunt, si attolluntur & laudabile pus fundunt. Sicuti enim variolæ, si bene maturefcunt, & pure albi

B

cante

eante abundant, felicem morbi eventum, ita & bubones, si ejusmodi modo procedunt, bona pollicentur. Quippe maturitas oleosum benignumque serum indicat, quo materia acris emollita velut amisso aculeo torpet.

§. VII.

Si quando autem minores sunt bubones, si lente eundanterque se proferunt, & symptomata increfcunt, vel si iidem interiora repetunt, si duri ac immaturi & nigricantes inter initia statim adparent, coloremque viridem vel plumbeum referunt, siniftrum exitum omnino augurantur. Neque in obscuro esse potest ratio, quippe sub his signis maligna succorum indoles & summa virulentæ materiæ vis & acredo significatur. Pessimum etiam signum est, si post bubones petechiæ cutem occupant, siquidem eo ipso intelligitur, nondum omne venenum cum bubonibus ad cutim exiisse, sed multum adhuc malignitatis humoribus implicatum intra corpus residere. Vid. solertissimus Practicus *Rayernus Observ. 39.*

§. IIX.

Alia ratio est carbunculorum seu anthracum, quæ non glandulas ut bubones, sed artus & musculos eorumque membranas & tendines invadunt. Quæ partes quoteneriores sunt quo molliori sensu pollent, eo plus periculi ægro portenditur, quod etiam ex symptomatibus, cum quibus hæc exanthemata erumpunt, facile patet. Antequam enim pustulæ eruptionem moliantur, insignis cordis angor, nausea, frequensque animi deliquium ægrum defatigant. Mox ubi emicare cæperunt, circuli nunc rubicundo nunc cinericio fuscoque colore coronæ in speciem septi adparent; non raro etiam pluribus

❁ (II) ❁

ribus vesiculis miliaribus nunc albescens nunc livescens dividuntur, aut nodi vel tuberculi alte in cute hærentes furunculi in modum fummo cum incendio & dolore erumpunt, circumjacentibus partibus rubore lividoque vel cæruleo colore defædatis. In summa: furunculorum malignorum naturam exprimunt & ubi in copia ad extrema artuum se effuderunt, funestæ plerumque sunt cum propter gravissimum dolorem, quem ibi movent, adfecti facile conficiantur. Idem periculum propositum est, si sub sinistra ala vel circa fauces confederunt. Hæ ipsæ enim papulæ instar gangrænæ manant, magnam interdum partem musclicolorum exedentes, nisi mature commodisque auxiliis eorum impetum infringamus.

§. IX.

Tumores vero parotidum sicut in omnibus malignis morbis, ita in peste etiam plerumque ferales sunt, si in augmento atque statu morbi hæ glandulæ intumescunt. Quamvis enim maligna materia eo transferatur, ob molissimum tamen sensum earum partium plexusque nervorum & cerebri vicinitatem, graves ex eadem orti spasmi lethalia symptomata & ipsam mortem adferunt. Quando autem iidem tumores in decremento morbi accedunt, & ad suppurationem inclinant, salutem etiam prænunciant, quia virulenta materia, qua causa morbi continebatur, jam temperata pestiferam vim perdidit.

§. X.

At ubi venenum pestilentielle a sanguine jam digressum intra corpus remanet, vel sub bubonum specie jam ad cutem depulsum ad interiora remeat, quod vomitu terrore, alvi fluxu & frigore accidit, tum virus intra corpus re-

ceptū cum sanguine & lympha ad interiores partes pervagatur. Quæ quo nobiliores quo ex sensibilibus membranis constant, in eo gravius periculum conjiciuntur. Ubi itaque ad duram matrem delatum fuit, maximum in discrimen vitæ adducuntur ægri, quippe perniciosam ibi molitum inflammationem phrenitidem producit. Sub quo adfectu facies sanguine turgēt, oculi rubent, ardent, & sine jacentis voluntate illucrymant. Iidemque torvum vident, sudorque circa caput, collum & cervicem frigidus fluit, & sitis alioquin vexare solita conquiescit. Quod argumento esse potest, a sanguine stagnante feri copiam digressam & ad fauces delapsam sitim restinxisse, & materiam sudori lacrymisque suppeditare. Atque ab eodem sanguine intra cerebrum & membranas ejus defidente fit, ut filamenta nervorum varie irritentur, unde mens variis phantasmatis perturbatur, & partes ægrotantis involuntarie hinc inde commoventur. Floccos porro ægri legunt, & modo huc modo illuc in lectulo se jactant, modo in hoc modo in aliud latus se devolventes, & mox ex superiore situ ad interiora prolabentes. Nudant præterea pedes, in membris fit subsultus, qui maxime in manuum carpis deprehenditur, respiratio fit difficilis, pulsus tremulus & formicans debilisque atque inæqualis, a nervorum nempe tunicarum, quibus arteriæ circumdantur, convulsione. Tandem ubi exteriora corripuit spasmus, facies ex purpureo in plumbeum colorem vertitur, extinctoque similis inalbescit, tempora collabuntur, nares acutæ fiunt, quæ omnia demonstrant, mortem adpropinquare.

e. IX-

Quodsi vero maligna materia introrsum regressa ad fauces & laryngem descedit, inflammationem excitat, quam

quam anginam adpellamus. Quæ cum per se periculo non careat, tum, ubi pesti accedit, maximum periculum denunciat, siquidem correpti peste, ubi hoc malo affliguntur, plerumque decedunt, uti bene *idem laudatus Raygerus observ. 39.* adnotavit. Neque enim ignotum est, quod angina fauciumque inflammatio gravissimum periculum adferant, si acutis malignisque febribus adfociantur. Quod jam dudum agnovit Medicinæ Parens *Hippocrates*, qui *provrber. l. 1. §. 11.* diserte scribit, in acutis morbis faucium sine tumore dolores pusillos & strangulantes esse perniciosos. Adde aphor. 35. sect. IV.

§. X.

Ubi vero ad ventriculum rursus declinatur venenum hoc, præter symptomata, quæ supra recensuimus, cardiacam atrocem ardoremque vehementissimum extremorum frigus, defectionem animi & singultum haud dubium futuræ mortis indicem procreat. Idem ubi intestinorum membranarum inhæsit, periculosa sunt diarrhœæ, quia plerumque soluta in peste alvus, nisi tempore critica descendat, mortem comminatur. Inde *Clar. Rivinus in tractatu de peste* solemter adnotat, vix centesimum ex iis, quos alvus citatior sub hoc adfectu exercuerit, mortem effugisse.

§. XI.

Sæpius autem accidit, ut venenum pestis evolutum e sanguine interiores partes maxime in sensibilibus corporibus, vehementi spasmoadficiat, unde sanguis cum impetu ad alias partes delatus, disruptis vasculis effunditur. Inde ubi ad caput redundat, per nares, si ad pulmones, per os, si ad uterum per naturalia exoneratur.

B 3

Ex

Ex quibus tamen sanguinis profusionibus in quibuscunque etiam locis fiant, nihil boni prædicere licet, quando plerique ex iis, qui adfectis peste adfuerunt, ferales hæmorrhagias plerumque esse, profitentur. Sic *Raygerus* observatione 39. observat, mortem, quoties se menstrua ostenderent, haud procul abfuisse, Æque periculosa lues est, superveniente sanguinis ex naribus profusioni sputo sanguinis, sicut *Mindererus* de pestilentia c. ii. experientia id edoctus demonstrat. Et recte judicat *Dollisimus Diemberok* lib. de pest. cap. 13. ex peripneumonia sanguinem tunc maxime per os & pulmones reddi, *Forestus* porro in *diffusa sua praxi* observat, plerosque ex iis, quibus cum peste decumberent, sanguis ex naribus vel pectore fluebat, periisse l. V. c. 13. Idemque confirmat *Verzascha*, qui *obs. 64. p. 135.* prodidit, lethalem plerumque fuisse pestem, si hæmorrhagia narium accesserit, Et plures quidem existimant, hæmorrhagias, quæ pesti adjungantur, adeo non terrere debere, ut potius salutem polliceantur. At hos quam maxime errare, bene adserit laudatus *Diemberok*, cui tanto plus credendum puto, quanto magis & experientia & ratio eidem adfentitur. Frustra enim natura laborat per has vias venenum, quod per totum sanguinem fufum est, expellere, unde exhausto vitali fonte, spiritus imminuuntur & collapsis viribus, quæ exterminando veneno requiruntur, illud in corpore remanet, & putredo longe lateque pervagatur,

§, XI.

Ipfa autem symptomata, uti jam supra monuimus, pro diversitate corporis diversam etiam induunt faciem. Quodsi enim corpus fuerit pituitosum, si venæ multum feri trahunt, sanguis ad caput confluit, unde copioso se-

ro secedente, altis soporibus & deliquiis animi adfecti opprimuntur. Et experientia testatur, in ejusmodi imbecillis phlegmaticisque corporibus raro fermentum putridum expelli, sed retentum intra sanguinem & corpus putredine sua omnia corrumpere. Inde cum serum maxime secedat, sudor copiose fluit, & urina solito largius effunditur. Quale urinæ profluvium si extra tempora critica accidit, funestum plerumque judicatur, uti scite commemorat *Riverius* l. de feb. pestilent. p. 217. Si in sanguine tum corpus pestis incidit, copiosi se bubones ostendunt, pustule fiunt rubrae, & celerius perveniunt ad maturitatem. Melancholicos sub hoc adfectu insomnia terrores plena inquietant. At cholericis vigiliis inflammationibus & hæmorrhagiis exercentur,

§. XII.

Demonstrato itaque jam modo, quo pestis corpora nostra devastat, expositisque symptomatibus, non alienum nobis videtur, & de iis dicere, quæ & ad pestem disponant, & quænam corpora aliis paratiora sint ad eandem labem concipiendam. Principio autem satis constat, famem quam plurimum ad pestem conferre, si quidem hæc illam plerumque sequitur, adeo ut vulgare etiam proverbium inde innotuerit: *δ λοιμός μετὰ λιμόν.* pestis post famem. Id quod si ad annales & historiarum monumenta recurrere placeret, multis ubique exemplis posset confirmari. *Plutarchus* aliquoties pestilentiam ex fame provenisse testatur, idque in *Demetrio & Antonio* no. 10. exemplis confirmat, eandemque pestem cum simili de causa in *Cæsarianis* castris milites afflixisset, liberaliori victu generosoque vino profligatam, idem in *Vit. Cæsar.* adnotavit. Neque longius est arcessenda ratio, quippe oppressa fame plebs ut desiderii naturæ satisfaciatur, prava
ali-

alimenta ejusmodi tempestate ingerit, quibus digerendis cum non par sit ventriculus, noxii intra corpus succi maleq; indolis adcumulantur. Accedit, quod ubi post angustiam annonæ lætior copia adfluere cœpit, ejusmodi hominum genus avide se impleat, unde alimenta languente calore ventriculi, parum salubriter concocta perniciosam contrahunt malignitarem. Quod quidem sub militum exemplo eleganter confirmari potest, qui ubi in hyberna concesserunt, maximam sæpe partem & ægrotant & commoriuntur, non alia de causa, quam quod exhaustum opere militari vigiliisque & aeris victusque injuriis corpus, tum ubi lautior victus suppetere cœpit, nimia ciborum mole onerant, quos cum natura adtritit jam viribus non possit subigere, effectum illud plane primumque & paratum ad putredinem & nascentes inde morbos reddunt. Et ipsa quidem, ut ad hanc redeamus, fames ob id etiam aditum pestilentie in corpus parat, quod eo tempore inusitati monstrisq; cibi, ut equi, canis asinique & aliæ putridæ carnes, frumentum vitiatum fructusque insalubres adsumuntur. Quæ alimenta cum prava & aliena sint corpori nostro, pravos etiam & alienos succos procreant, adjuvante eorum malignitatem nausea, cum qua insolitæ hæ acceptæ dapes minus recte concoquantur, fluido illo elastico, quod per copiosos nervos ventriculo infusum concoctionem egregie juvat, sub hac averso & ad interiora refugiente. Itaque ejusmodi succi cum per se putredinem facillime induant, tum multo magis potenti pestis fermento iique multiplicativo obsecundant. Ita *Rulandus Capellanus* in lib. quem de peste composuit, scribit, ex usu porcinarum carniū, calore vehementi dominante, mille homines periisse. Jamque cum fames tantopere lenocinetur pesti, ratio præsto est, cur eadem pauperes magis quam lauci delicatique homines absumantur.

§. XIII.

Uti autem inedia & fames pestem quamplurimum fovet & adjuvat, ita & intemperantia non minus eo præstat præfidii adjumentique. Dum enim cibi avidius ingeruntur, natura velut mole onerata, neque eos atterere, neque ea, quæ abundant, per congrua loca expellere potest. Unde exortæ cruditates & in ventriculo ab accedente lymphæ & bile maxime exasperatæ, & contagium facillime amplectuntur, idemque mirum in modum augent ac propagant. Quare quo majus damnum ingluvies minatur corpori, eo firmiter præstantiusque præsidium in peste promittit temperantia, merito ab omnibus qui diligentes sunt salutis suæ, studiose consecranda. Inde *Diodorus* Siculus, dum fatalem illam Numidiæ pestem describit, diserte admonet, commoda victus ratione frugalitate ac moderatiōe affectuum ejusmodi tempore communem lucem maxime evitari. Qua quoque ratione *Socratem* accepimus, se incolumem præstitisse, cum dirissima lues Græciam & Atticam inprimis devastaret, temperantiæ nempe legibus se adstringens, cujus etiam beneficio in communi clade superstes perseverabat. Sicuti contra *Riverius* bene observat, proclivia ad pestem ea corpora esse quæ copioso abundant sanguine, eundemque habitum ex intempestivo atque lautiore victu sibi contraxerunt.

§. XIV.

Cum proinde luxuria pestis sit corpori nostro & ad idem malum præparet, non difficile est intellectu, comitem quoque luxuriæ venerem quamplurimum valere ad pestem intra corpus recipiendam. Scilicet immodica

C

venus

venus maxime enervat effeminatque corpus, ideoque hæc perniciosissima in peste, quia quo magis debilitatum est corpus, eo minus vel futurae putredini resistit, vel jam receptam excutere potest. Quantum autem venus frequentior emolliat debilitetque corpus, ex eo colligi potest, quod subtilis roseidaque lymphæ, quæ vim acrobur partibus præbet, sub hac ipsa exhauritur. Neque minus balnea calida si frequentior imprimis eorum sit usus, pestem adjuvant, siquidem hæc solvendo fibrarum tonum corpus valde debilitant, unde labefactato salutari sanguinis motu illud obvium expositumque fit putredini. Id quod exemplo suo declarant orientales populi Turcæ, Egyptii ceterique, quorum corpora quod pesti obnoxia sunt, præter alias res magna ex parte immoderato usui calidæ lavationis videtur adscribendum. Quippe hæc laxando habitum corporis, fibris motuicibus robur impellendo sanguini destinatum, detrahit, unde hic feigniore flumine progressus, accumulatis intra eum fordibus facile putredini patet, ad quam quantum ejusmodi balnea faciunt, quivis de facili intelliget, qui perpenderit, ex calido & humido putredinem progenerari.

§. XV.

Cum pròinde ex iis, quæ adhuc proposuimus, factis eluceat, impuris corruptisque intra corpus succis & fibrarum imbecillitate foveri pestem, sequetur inde, phlegmaticos, scorbuticos, cachecticos, cacochymicos & qui otio deliciisque disfluunt, pestem facile incurrere. Inde & mollia puerorum corpora plerumque infestat, notante Raygero, in peste Posoniensi, quæ tria millia hominum rapuit, infantes, femellasque maxime, interceptas. Cujus rei hæc ratio est, quia ejusmodi corpora impuris salis acribusque fordibus turgent, partim debilibus & mi-

& minus potentibus ad motum a natura prædita sunt, vel diurno morbo earundem robur perdiderunt. Inde etiam quod gravidis plus ab lue nostra periculi infert, quam aliis mulierculis, quia illæ dum uterum gerunt, cacochymicum plerumque habitum corporis colligunt, facile inde graviusque contagio adfligendæ. Et observavit *Foreſtus l. 6. observ. IX.* in peste Delphenſi raro gravidas evaſiſſe. Cui accedit nobiliſſimus Medicus *Diemerbrok,* qui libro 1. c. 15. de peste ſcribit, feminas, quæ in Neomagenſi peste abortum fecerint, aut inſtante tempore peſtis, aut in peſte, peſte correptas periſſe omnes uno vel altero infante conſervato. Inde cum tantum iſtis periculum impendeat a peſte, nihil ſalubrius conſultiusque illis eſſe judicamus, quam loci mutationem. Laſſitudo etiam ſpontanea, nauſea color faciei mutatus inſomnia vigiliæ & timor indicio ſunt, corpus ad peſtem inclinare.

§. XVI.

Evolutis itaque jam iis etiam quæ ad peſtem diſponunt, reſtat ut demonſtremus modum, quo quiſque ſuum corpus, ubi hoc malum ingruit, ab ejus impetu tueatur. Cum enim præſervatio & firmior, & tutior ſit in omnibus morbis depellendis, merito hæc peſtis tempore diligenter admodum amplectenda eſt, quippe quæ lues facilius averti quam curari poteſt. Quamvis autem diu multumque agitata ſit in ſcholis medicorum, ut ejusmodi medicinam, quæ ab imminente peſte tutum ſecurumque præſtaret corpus, invenirent, nondum tamen ad liquidum perductum eſt ejusmodi medicamentum. Nec unquam forte adparebit, ſiquidem cum in præſervatione id inprimis agendum ſit, quod tamen arduum, ne miasma peſtifera ſuccos vitales ſubeat, & ne humores corrupti intra primas vias naturam geniumque ejus, ubi acceſſit,

trahant, de facili videre est, ad id impetrandum non unum sufficere remedium, sed plura esse adhibenda. Ex quo intelligi potest, quam lubrico insistant fundamento, qui hoc vel illo auxilio pestem averti posse contendunt.

§. XVII.

Atque alii quidem cum viderent pestiferum miasma cum aere circumfuso intra os acceptum, ibidemque salivæ admixtum in ventriculum cum eadem delabi, promptum inde præsidium, uti ipsis visum fuit, ad arcendam pestem traxerunt, nempe ut perpetuo saliva redderetur. Quod auxilium cum multi probent, tum ejusdem præstantiam peculiari libro Bohemus Medicus *Doberzensky* adferuit. Idemque secuti iter alii masticatoria balsamica myrrham electam, radicem angelicæ, cortices citri & alia adjecerunt, & ex his trochiscos formatos sub lingua continendos præceperunt. Idque inde efficere conati sunt, ut in primo quasi flore virulentum miasma strangularetur, caustica ejus vi per balsamicam virtutem imminuta, deinde ut harum rerum usu expressa de glandulis saliva copiose flueret, & cum hac venenum etiam simul rejiceretur. Quam utranque methodum licet nos minime improbemus, eandem tamen minus sufficere excludendo tam strenuo malo arbitramur, experientia illorum confirmati, qui crebris observationibus quas de peste condiderunt aperte testantur, plurimos ex iis, qui in frequenti usu haberent ejusmodi res, nihilo secius correptos peste occidisse.

§. XIX.

Jam quid de iis dicemus, qui vitium pestis in aere latere professi, hunc emendare maxime student, sub em-

12
 emplo Hippocratis, cuius hic autoritatem prætendunt, sub
 dio strues lignorum vel pulverem pyrium sclopetis tormen-
 tisque excultum accedentes. Idem etiam accensis odo-
 ribus ex myrrha succino mastiche olibano aliisque resi-
 nis & privatas ædes & publica loca hoc modo contra pe-
 stem communire adlaborant. Quamvis hæc omnia quam-
 parum firmum præsidium præstent, non ignorare is pot-
 erit, qui considerat, in peste ipsum aerem adeo non
 viciatum esse, ut & sub salubri clementique cælo hæc lues
 sæpe oriatur. Illud tamen scire oportet, hoc auxilium
 tum utique laudandum esse, cum sub humida & pluviosa
 tempestate pestis dominatur. Nihil æque enim hanc
 luem fovet, nihil magis eidem vires addit, quam ejusmo-
 di aeris conditio, sub qua laxata corporis compages ad-
 modum languescit, unde imminuto salutari humorum
 circuitu, necessariæ excretiones laborant, iisdem turba-
 tis ad corruptionem corpus præparatur. Quapropter
 sub tali aeris habitu accensos ignes factosque odores o-
 mnino comprobamus, eosdem tamen, si serenius ventis-
 que perflatus aer adest, merito damnamus cum tali tem-
 pore plus damni quam utilitatis præstent. Adjicit nobis
 calculum suum Vir peritissimus *Morellus*, qui c. 5. de fe-
 bribus pestilentibus falsè admodum hanc rem perstringit:
 Eat inquit bonus ille Senex (*Hippocrates*) jubeat idem
 nostris, ut incolis quondam in insula *Coo*, frutices jun-
 peri colligere & cremari. Videat an ut olim possit fu-
 gare pestem fumigatum credo satis est præterita peste
 hic in nostris ædibus, satis crematum fruticum juniperi,
 sed per condensata nubila fumi intravit lues, & oculis
 destituta, qui fumi mordacitatem alias ferre nequeunt ni-
 mis distincte invenit, quos mactaret. Idem quod de fu-
 migatione monuimus, de tobaci usu tenendum est, quem
 velut summum præsidium contra pestem multi prædica-
 runt.

runt. Sed & eosdem falli, usus & experientia omnino declaravit.

§. XIX.

Transimus jam ad amuleta famosa apud veteres remedia quibus contra pestem mirificam virtutem adtribuerunt, quid de his judicandum sit, exploraturi. Notum est, ex mercurio & arsenico hæc composita veteres cordi adpendisse, falso persuasi, venena hæc quasi sympathia quadam attrahere venenum in ipso aere contentum, ne illud interiora contrectaret. Sed enim isti commendatores turpiter se dant, & a quoque peritioro medico merito reprehenduntur. Inter quos legi meritur *Verzascha observat. 66.* & *Anton. Deusingius in Tract. de peste P. 10. S. iij. c. 3.* a quibus mala ab arsenici amuleto tempore pestis gesto diserte commemorantur. Eodemque loco eleganter admodum offenditur, vanam hanc de arsenici in peste virtute opinionem ex male intellecto Arabico idiomate subortam in praxin subrepisse. Commendaverat enim medicus Arabs facculum *Darseni* quod in ea lingua cinnamomum est, quæ vox servata aliquantum apud medicos, ut hodieque passim fieri solet, ab ignaro postea linguæ in arsenicum versa est, quem errorem alii secuti eundem subinde ad posteros propagarunt. At si quid præstant amuleta, quod tamen quam minimum fore arbitramur, id utique apud ignaram plebem fiducia præstant, quippe ejusmodi simplices homines confisi medicamento, quod in pectore gerunt, omnem timorem formidinemque, res admodum perniciosas tempore pestis, ex animo ejiciunt.

§. XX.

Majore utique laude ferendi sunt fonticuli seu ulcera
arte

arte facta, quæ multi velut egregium adversus pestem auxilium commendant, non sine ratione persuasi, per hæc vel spontaneo naturæ motu, vel remediorum vi venenum pestilentielle exterminari. *Fabricius Hildanus centur. 10. observ. 25. & 86. prodit, se in atrocissima peste Laufariensi beneficio ulcerum ejusmodi, quæ in sinistro brachio & poplite aperuerat, servatum, imo neminem ex iis, qui foniculos gerebant nisi præter quosdam cacoehymicos, ex lue occidisse. Quod argumento esse potest, quanti sit æstimandum in peste hoc genus auxilii, cujus virtutem *Desingius* quoque tr. 10. de peste c. 23. *Hieron. Mercurialis* de peste c. 23. & *Parvus* l. 22. c. 27. suis quisque laudibus nobilitarunt. Nos vero quamvis negemus, hoc tanquam exploratum & commune conveniensque omnibus auxilium in peste præcipiendum, illud tamen adferimus, foniculos in peste magna cum utilitate geri firmis id persuasi argumentis. Per hæc enim alia purgamenta sanguinis seu corrupta materia ex sanguinis & lymphæ massa rejecta percolatur, imo salinæ acres noxiæqueordes huc delatæ exterminantur. Quod illi suo exemplo testantur, qui spasimis doloribus cathartis diu vexati, multis frustra tentatis, tandem hoc admoto auxilio, mirifice adlevantur. Veroque simillimum est, & pestis tempore noxios corruptosque humores per hæc loca expulsos minus alimenti præbere circumfuso pestifero miasmatis idem que ubi interiora subiit, naturæ viribus per hæc ulcera dissipari. Quod demonstrare videtur ille apud *Verzasch* observ. 61. qui cum foniculus humorem nigricantem dimississet mirifice statim adlevabatur.*

§. XXI.

Nefas est præterire alexipharmaca calidiora, quæ cum velut propria pesti remedia a multis extollantur, merito

rito iudicium sententiamque nostram desiderant. Talia sunt, ne omnia complectamur, theriaca & ejus extractum, angelica, vincetoxicum, zedoaria electuarium Orvietan. elect. camphoræ Kegleri, elixir antipestilentiale Crollii elix. proprietat. ol. antipestilentialia quæ magnifico titulo insigniuntur. At hæc ipsa non modo fallere spem de illorum virtute conceptam, sed & nocere sæpe, imo faces subicere furenti intra præcordia malo, non difficile est, multis observationibus adferrare. Suffecerit tamen in testimonium citasse clarissimos artis professores, qui uno ore & in cura & præservatione hæc noxia esse tradiderunt. Videatur *Cbald. de Heredia* de peste Hispanensi & *Hildan.* de peste Bernensi. cent. V. observat. 59. Multus tamen inprimis est in iis condemnandis *Thonnerus* qui plurimis observationibus adstruere satagit, omnes peste absantos fuisse, qui alexipharmacis calidioribus abuterentur, vid. l. 1. p. 64. 65, 67.

§. XXII.

Igitur cur animadverterent medici firmum exploratumque contra pestem vix reperiiri, abjecta plane omni spe eo adductos multos ex iis credo, ut cum *Palmario cap. 17.* de febre pestilente exclamaverunt peculiare pestis auditotum adhuc in abscondito naturæ sinu reconditum latere. Inde relictis remediis fugam ceu unicum præsidium, quo pestis prohiberi possit commendare cœperunt, Hippocratem ea in re secuti. Thucydides in famosa illa peste maturam fugam tardumque reditum præcipit, cuius memor consilii *Galenus*, cum sæviret Romæ pestis collectis vasis urbem deseruit & in salubriora concessit loca, parum tutam esse ratus cum infectis esse conversationem.

§. XXIII.

At cum fuga quisque ipse sibi consulere possit, minus consulendus est medicus, ubi autem manendi necessitas incidit, prospiciendum utique est de aliis auxiliis, quæ & nos hic subjiciemus. Demonstravit nempe in priorè dissertatione Dn. Præses, & in præsentè etiam attingit, terrorem de peste incussum plus nocere ipsa peste, & hoc solo, etiam absente peste, multos consumi, iisdem malis, quibus qui laborant peste, jactantur, excruciatos. Terror enim, constrictis acuto spasmò exterioribus, sanguinem ad interiora summa cum vi urget, atque sibi vehementissima mala maxime inflammationes præcordiorum ac ventriculi excitat, unde Helmontius, essentiam pestis in *archeo terræfacto* collocavit. Atque si ex solo terrore pestis corripere potest, nullum dubium est, quin infectis maxime terror sit pernicialis. Quare eleganter *Sennertus* in praxi pag 798. scribit, fatius esse, ipsam pestem quandoque dissimulare, nam in hujus principio plures restitui, antequam malum intelligant, & in progressu, qui animo præsentè sunt, evadere. Illud omnino certum exploratumque est, miasma pestiferum, si homines timore & terrore percussos occupat, vel qui anxii suspensique sunt de eventu morbi, longe majus periculum minari, exiguamque spem præbere ægrotantem restituendi. Inde etiam jam sæpe nobis ad partes vocatus *Rægerus* in Pofonienfì peste observavit, qui terrore metuque occupati essent eos ubi concepissent pestem, periisse fere omnes. Quod dubitare nos non sinit, quin quo majorem in peste perniciem, terror, eo præstantiorem opem ferat animi tranquillitas, si huic rectè studeatur. Absit proinde terror, absit metus molli-

D

ties-

tiesque illa animi, excitandus & erigendus potius est animus, eidemque semper illud oberrare debet, quod nescio quis apud Curtium militibus inculcat, mortem plerumque effugere (in peste) qui contemlerit, timidissimum quemque eandem consequi.

§. XXIV.

Et quoniam supra posuimus, pestis essentiam in summa celerissimaque versari putredine, eandemque per contagium, quod in motu putrido constitutum est, succis corporis induci, facile exinde perspici potest, omnia, quæ putredini contraria, ejusdemque intestinum remorantur motum, inter summa pestis præsidia, oportere connumerari. Ipsam autem contagium ingressam etiam interiora corporis cum minus diffundere possit vim suam, nisi corrupta intra corpus humorum moles accedat, hinc illud discimus, ad propulsandam pestem necessarium esse, ut hi ipsi removeantur. Adque id quidem unice præstat perennis ille sanguinis motus libero æquabilique cursu corpus obiens, quippe qui putredinem, ad quam natura sua quæque corpora feruntur, arceat, sordes inimicas alienasque sanguini per congrua loca expellendo. Quo magis, qui tutus esse cupit a peste, non negligere debet ea, quibus hunc salutarem motum saluum incolumemque præstet, ut adauctis excretionibus, solidis partibus suum robur concilietur. Ita autem D. Præsidi videtur, ex ingenti remediorum segete non dari præstantius remedium, non quod perinde adverteretur pesti eidemque aditum in corpus intercludat, quam vinum non quidem promiscue adreptum, sed temperatum acidulum quale est excellens Rhenanum. Quod quantum vim contra putredinem & pestem contineat, intellectum est in superiore peste, quæ ante aliquot annos Germaniam
no-

nostram adfixit, in qua vinum saluti fuisse, ejus tempo-
ris homines adnotarunt. Hoc enim intus sumtum vires
mirifice reficit, torpentemq; metu animum excitat atque
confirmat, timorem excutit, sudorem & urinam pro-
mouet, & subtili temperatoque quo pollet, acore resistit
putredini. Quod videmus in sphacelo, in ulceribus pu-
tridis, in quibus vinum mirifice prædest, nihilque eodem
excellentiùs ad sanguinem qui in aliqua parte coit, discu-
tiendum. Ipsius autem vini usus, quem in peste summo-
pere omnino commendamus, hanc methodum deside-
rat. Primum eo diligenter collui debet os, maxime, si
cum infectis conversamur, ut absteris nempe sordibus
oris & vitiosa saliva ipsi miasmata aditus intercludatur.
Oportet autem & illud in matutino tempore modice degu-
stare, ut impedita sic corruptione succorum relictisque vi-
ribus, salutaris sanguinis motus exinde augeatur.

§. xxv,

Ac vinum quidem cum mirifica ei virtus contra pe-
stem constet, gratia par, merito est divitibus lautisque
hominibus commendandum, pauperes vero, quibus non
suppetit facultas idem comparandi, acetum vini loco e-
jus adsumere possunt, cui non minus inest vis, putredi-
nem pestemque a corpore prohibendi. Debent autem,
qui hoc utuntur, jejuni aliquot ejus cochlearia sorsbere,
eodemque & fovere nares & os colluere, meliusque illud
erit, si adjectis calendula floribus it. scordio rutaque fuerit
destillatum. Mirum est, quanta ejus sit efficacia in ad-
juvando corpore contra grassantem labem, siquidem dis-
cutiundo solvendoque coagulatos humores, stimulando-
que fibras salutaris corpori excretionis sudorem urinam-

D 2

que

que egregie provocat, & inde corpus a pestifera hac la-
be præstat illibatum. Quod vulgi etiam experimentis con-
firmatur, ex quo multi, teste *Kornbauero* in libro, quo in
Paracelsum de peste commentatus est, qui allium ex ace-
to adsumebant, corpus a peste defenderunt. Et ne vul-
gi imperitæque plebis experientia abutamur, & ipsos me-
dicos eosque clarissimos in testimonium vocare juvat,
qui uno fere ore præstantiam hujus auxilii deprædica-
runt. Ipse *Sylvius* in libro de peste scribit, se bene-
ficio aceti calendulati, quod cum pane adsumferit pestem
evitasse. Cui quidem suffragio suo juvat magni idemti-
dem nominis medicus *Bartholinus*, qui centuria IV. hist.
13. de aceti viribus hoc prodidit: Nostrates, inquit, peste
grassante, solo aceto calendulæ se muniverunt, eodem-
que evaserunt incolumes.

§. XXVI.

Custodiendæ autem valetudini in peste præter hæc,
quæ recensuimus, maxime inserviunt leniora laxantia,
quæ balsamica virtute & confirmant viscera, elementer-
que sollicitando fibras intestinorum, alvum præsentem so-
lutiorum, ut a molesto onere expectari debet ab elixir pro-
prietatis Paracelsi & pillulis Ruffi similem ad modum ad-
paratis. *Gieslerus* certe observatione de peste, sancte ad-
feverat, neminem ex iis sublatum peste, qui alvum sibi
subinde his morsulis laxaverit: Recipe aloes drachmam
unam, rhabarbari scrupulos binos, sulphuris, nitri sin-
gularum scrupulum semis, sacchari candidissimi q. s. Nos
sequentes pillulas summæ fore utilitati arbitramur; Re-
cipe aloes succotrinæ extract. scordii C. B. myrrh. elect.
succini mastiches ana drachmam unam, extract. rha-
barbari fl. benzoës fl. sulphuris croci salis. succini
ana

ana gr. 12. camphoræ gr. VI. olei juniperi guttas X.
m. f. l. a. pillulæ, quarum una dosis quindecim grana com- 15
plecti debet, eædemque bis per septimanam sumptæ cor-
pus mirum in modum adlevabunt.

§. XXVII.

At frustra fuerint forsan hæc medicamenta, frustra præcepta atque cura medici, nisi hæc temperantia ac continentia velut futuris quibusdam sustineantur. Ideoque nos supra jam monuimus, si quo tempore certe pestis tempore rem adprime necessariam esse temperantiam atque sobrietatem, qua tantum adjuvatur valetudo, quantum ingluvie libidineque debilitatur. Ex hac enim concepti intra corpus crudi impurique humores hinc inde stagnant, qui & corruptionem facile induunt, & ipsi miasmata suggerunt alimenta. Sicuti contra temperantia & frugalitate sua succis salubritas temperiesque conservatur, & progressus inde sanguinis motus placido æquabilique itinere, & vires corpori suggerit, & quæ aliena & inimica sunt corpori, per spiramenta cutis & cetera loca dimittit. Quo fit, ut nec pestifero miasmata aditus pateat, vel admissum intra corpus, subtracto ipsi quasi fomento, facilius felicisque dilabatur. Legem itaque temperantiæ ac continentie sibi indicere debet, cui salus pestis tempore curæ est, & abstinere ab carnibus ægri animantis putridisque maximeque carne suilla, quæ summo opere auget humores, eosdemque inutili mole oneratos corrumpit. Aliena etiam sunt ejusmodi tempestate dulcia saccharum, poma, mustum & lac aliaque quæ fermentatione qua agunt, corpori nocent. Modicus etiam usus sit carniùm salubrium, ne accumulati inde succi corporis cum propter molem minus expedite se moveant, putredini præbeant occasionem.

§. XXIIIX.

Utī autem pestis tempore summo cum studio vi-
ari debent, quæ putredinem excitant, ita non minori cu-
ra ea sunt amplectenda, quæ eidem aduersantur. Opor-
tet igitur sectari maxime aerem serenum, habitare in sub-
limioribus ædibus, quæ ad septentrionem spectent, & ven-
tis orientalibus perslentur. Quare & magistratus per e-
dicta cavere debet, ut plateæ diligenter verrantur, eæ-
demque mundæ nitidæque seruentur, nec fordes atque
purgamenta quævis in eas projiciantur.

§. XXIX.

Contemplati jam igitur præsidia, quibus integra in
peste valetudo seruari custodiri que possit, res postulare
videtur, ut & ad curam hujus mali accedamus. Quæ
quamvis admodum difficilis, quippe quæ cum putredine
inensissima re corpori pugnat, tamen de ea non despe-
randum videtur, ut fecerunt multi ex veteribus medicis,
quos fallente causâ sæpe sefellit curandi ratio. Ideoque
solam naturam, hoc malum curare, adfirmarunt, nos au-
tem, quamvis non negemus, naturam quoque plurimum
sibi quoque in hoc malo vindicare, non omnem tamen
vim medicamentis adeo detractam volumus, quin egregie
his ipsis naturam imbecillem viribusque denudatam po-
tenter adjuvari profiteamur. Prius autem, quam i-
psam curandi rationem evolvimus, non alienum nos
facturos arbitramur, si de potentioribus auxiliis, ea-
rumque in peste efficacia paucis disseramus. Vali-
dissimum autem remediorum genus est Venæsectio,
in peste tamen adeo perniciofa, ut quicumque de cu-
randa peste aliquid memoriæ prodiderunt, eam com-
muni quasi de sententia improbarint. *Gesnerus l. 3.*
ep.

ep. 85. follerti observatione id probat, aperte scribens, Lugduni fere periisse omnes, quibus soluta fuerit vena, & ceteris, qui mature usi sint remediis alvum præsertim leniter purgantibus initio statim, mox sudoriferis, ita ut ne ultra horam unam vel alteram ad summum sudarent, pleurosque conservatos. Cui idemdem accedit Gallicus ille Hippocrates *Fernelius* qui l. 2. c. 12. de *abditis rerum causis* hæc dicit: In peste, inquit, medici celeberrimi, qui longo artis usu doctrinæ studia compleverunt, prorsus abstinendum Venæsectione sentiunt, experti, eos, quibus sanguis seu inter initia sive postea emissus fuit, aut paulo post obisse, aut in deterius prolapsos. Quod idem variis exemplis *Verzascha observatione* 58. confirmat, & *Celsus* in præidiis contra pestem ponit, ne ejus tempore sanguis soluta vena dimittatur. Vitali enim fonte exhausto, ipsi spiritus detractio quasi alimento; languent, undè vis movens etiam torpèet, partibusque exterioribus contractis transpiratio impeditur, sanguineque ab ambitu corporis ad interiora compulsò, putredo intra corpus retinetur. Ex quo satis intelligi potest, quam caute circumspèctèque detrahere sanguinem in hoc affectu conveniat, quam quandoque etiam invenire locum existimamus, magis tamen in præservatione & in corporibus, quæ sanguine abundant, vel quibus alias critico motu fundi solitus sanguis constitit, vel venæsectioni adjuverunt.

§. XXX.

De vomitoriis eorumque in peste usu in utramque etiam partem disputari videmus. *Gesnerus* l. 3. cap. 85. scribit: Intellexi non modo Basileæ sed & Lugduni quoque permultos usu antimonii emetici in peste raptos, quare is in morbo eo abstinebam, nisi forte robustius corpus in
prim-

principio contingeret. In contrariamque sententiam *Riverrius* cent. IV. observ. 99., qui eodem loci testatur, quempiam, cui tertia pars urbis correpta peste commissa fuit, vomitoriis percurasse. Nos mediam ab iis ingressi viam, valida utique vomitoria merito rejicimus, clementiora magni usus esse in hoc malo adfirmamus. Valentiora utique ejusmodi vomitoria vires, quæ reservandæ erant expellendo veneno, admodum imminuunt, exhaustisque bonis succis, venenatam miasmatis vim in ipsum sanguinem adigunt, majusque eadem periculum minantur, si jam inflammatio ventriculi vel jam adest, vel certe adpropinquat. Mollius vero sentiendum de iis, quæ clementer vomitum evocant, siquidem hæc egregiam opem ferunt, ubi inter initia statim, cum se correptum peste senserit æger, offeruntur. Expediuntque unice in forma liquida eadem exhibere v. g. unum granum tartari emetici solutum ex uncia dimidia aquæ mentha, adjectis tribus guttis essentia alexipharmacæ, vel mixturæ simplicis, ut inde leniter excitatus ventriculus venenum pestilentiale rejiciat. Post vomitum utilissimum est, acetum alexipharmacum vel camphoram cum nitro adsumere, ut sudor moveatur. Est vero in omni fere vomitu, tum in eo, qui in peste cietur, adprime utile, ut post eum clementior sudor provocetur, & fuit hæc jam veterum cautio, qui unctiones, balnea & sudorem post vomitum præcipiebant. *Vid. Corn. Cels. l. 1. p. 29.* Purgantia eandem fere sententiam subeunt, quando validiora in cura hujusmodi summa cum industria sunt fugienda, præsertim si jam inflammationis in ventriculo metus sit, quam sua sæpe sponte excitant. Perniciosa etiam sunt dulcia, ut manna castia ceteraque, quæ fermentationem moliendo materiam præbent ampliorem grassanti miasmati. Probanda autem sunt, ut in præservatione, ita & in cura leniora laxantia, quæ balsamica simul virtute pollent, ut deducta ele-
men-

menter alvo perniciosi humores decedant, & alimentum pestifero veneno detrahatur. Quare commodissimum est, in principio eleixir Paracelsi cum liquore terr. foliat. tartari & essent. rhabbarari dare, adjecto etiam uno grano tartari emetici. Sed ubi aliquoties descendit alvus, protinus ad sudorifera accedere oportet.

§. XXXI.

Instituti ratio exigit, ut alexipharmaca & calidiora medicamenta, ut salia volatilia oleosa spiritum C. C. oleum pestilentielle Henisii & alia, quæ ad hunc ordinem pertinent, iudicio nostro retractemus. Hæc uti nec defendunt corpus, quod supra demonstravimus, contra imminentem labem, ita idem nec restituant, majorem sæpe etiam perniciem damnique adlatura. Nam cum cura hujus mali duplex sit, ut venenum intra primas adhuc vias detentum statim excutatur, vel ut idem ubi jam in sanguinem delapsus est, commoda medicina eliminetur, facile quisque, qui naturam horum remedium cognoverit, perspieiet, utriusque scopo eadem adeo non respondere, ut potius furorem mali augeant promoveantque. Nam & miasma pestiferum, ubi adhuc in ventriculo remoratur, non exturbatur e corpore, sed adactum illorum vi altius in corpus in sanguinem nempe descendit, & constricta iisdem alvus plures fordes colligit, daturas malo incrementum. Adde quod calefaciendo nimis sanguinem, vires consumant, & inde efficiant, ne venenum, cum deficiat natura, ad exteriora depellatur. Merito igitur a scientissimis medicæ rei viris eorum usus in hoc malo damnatus fuit, quorum quoniam supra autoritate usi sumus, supervacuum erit, eadem hic rursus repetere. Credimus tamen ea in re plurimum Unzero, Viro experientissimo & qui in hac olim urbe exercuit artem & de peste scripsit, qui omnia calidiora eorumque usum reprehendit. Non prætereunda vero a nobis sunt anody-

E

na,

na & theriacalia. magna in magnis morbis remedia, quæ uti in ceteris passionibus, ita & in peste quam circumspectum usum desiderant. Quodsi enim putridis circumspectis que succis primæ turgent viæ, si pulsus debilis languidusque fuerit, viriumque imbecillitas, noxiosissima erunt corpori medicina. At in cholericis corporibus & ubi acres causticique humores inflammationes ventriculo aliisque partibus machinari videntur, theriacalia & maxime cum camphora & nitro mixta insigni erunt adlevamento. Vid. *Verzasch.* de theriacalibus probatæ virtutis observ. 55. & 56.

§. XXXII.

Sed relictis hisce, pergimus ad illam methodum, cui nos insistendam esse existimamus. Itaque si ex terrore subito invasit pestis, remotis omnibus purgantibus ac vomitoriis sudorifero valido subveniendum est ægro, cui fini maxime responderet acetum bezoardicum vel theriacale, quod & coagulatum sanguinem discutit, eundemque in priorem cursum vindicat. Quodsi vero misera jam ventriculum subit, leni emetico & laxante illud emoliri oportet, mox, uti supra præcepimus, movendus sudor non calidis volatilibus, sed iisdem acetis bezoardicis, quæ in hac cura merito sibi suo primum locum vindicant. Et quamvis jam in præservatione multa dicta sint, quæ præstantiam horum remediorum declarant, non inutile tamen fuerit, & alia adjicere, quæ quantum usum in cura etiam præstent, liquido demonstrant. Mirifice commendat Thonnerus p. 21. ejusmodi acidum medicamentum, luculenter scribens, nihil profuisse in peste quam acetum theriacale inter initia ad eliciendos sudores datum, eodemque remedio anno 1643. grassante inter milites febre maligna totam gregariorum cohortem servatam fuisse, convalescentibus fere omnibus, quotquot tempestive eodem aceto utebantur, exceptis paucis, qui-

quibus ferius a cheirurgo oblatum fuerat. Est autem hoc: Recipe confection. orvietan. unciam unam diascordii Fracastorii drachmas VI. theriacæ unciam semis radic. angelicæ contrajervæ enulæ pimpinellæ tormentillæ scorzonera dictamni albi petasit: ana drachmas iij. scordii millefolii rutæ anam. j. fl. calendulæ tunicæ m. β. baccar. juniperi unciam semis, Zedoariæ macis ana drachmas iij. camphoræ scrupulum unum croci drachmam unam myrrhæ elect: drachmas ij. aceti q. l. Ejusmodi acetum antipeffilentiale B. Parens D. Præsidis *Friederici Hoffmannus in clave pharmaceut. Schröd.* p. 380. describit. Et de ipsâ quidem aceti virtute *Kirschens* lib. de peste p. 375. manifesto testatur, Romana dominante peste, quotquot illi usi fuerint, quamvis etiam cum infectis intra eandem ædes morarentur, pestem evasisse. Componebatur autem hoc medicamentum ex speciebus domesticis uti sunt acetum exquisitissimum ruta pimpinella betonica, allium baccæ juniperi, addito pauxillo camphoræ, quæ per infusionem in aceto 40. horarum spacio digesta ad solem vel intra hypocaustum percolantur & ad usum reponuntur. Hoc medicamentum matutino tempore sumptum egregiam præstabat antidotum.

§. XXXIII.

Quantum autem in præservatione vini & aceti vini usus habet momenti, tantum & idem in curanda peste præstat usum. Hinc optimum erit, omnia alexipharmaca ex aceto acri vel vino adsumere. Quod longo rerum usu expertus *Gesner. l. 3. ep. 85.* suo calculo probat, ibidemque judicat, theriacam & alexipharmaca ex vino, cui admixtum sit acetum, adsumi oportere, postque id fundandum, modice tamen, ne vires deficiant. Eodemque vino si febris & inflammatio abest, subinde reficere oportet vires, & tali in casu etiam in febre maligna opitulari, eo que curatam febrem ardentem testantur *M. N. C. Dec. ij.*

A. ij. p. 87. & Dec. ij. A. VI. p. 67. Simili modo *Kornbauerus* in *Comment. Paracels.* de peste p. 15. hanc potionem commendat: Recipe spiritus tartari cochlear unum, aceti vini cochlearia tria pro una dosi. Eademque fere de causa tanti æstimatur insignisque virtutis creditur esse in malignis morbis & peste aqua prophylactica *Sylvii*, quæ cum acetum maxime recipiat, non falso hanc laudem commeteretur. Neque vero acetum vini modo & spirituosum & subtiliora & acida, sed & fixiora ex iis insignem in peste ferunt utilitatem. Quippe in confesso est, quod nihil æque morum intestinorum sulphurearum partium sistat, nihil magis corruptionem & dissolutionem impediat, quam acidum, in summis inde auxiliis commemorandum. Eandemque ob causam succus citri tum in cura tum in præservatione commendatur. Cole de morbis acutis p. 88. scribit: In peste Turcæ frequentius utuntur succo limonum, quem liberaliter omni jusculeo instillant. Cui accedit *Forestus* qui se ipsum hac medicina contra pestem muniebat. Ego, inquit, cum grassante peste nusquam trepide plenus civium studio me conferrem, illis potissimum auxiliis ac potissimum mali citrei putamine succulento dentibus attrito me munire soleo. Et hujus quidem pomi virtutem contra venenum passim vetustissimi autotes prædicarunt, unde & *Virgilius* canit *Georg.* l. 2. v. 135.

Media fert tristes succos tardumque saporem
 Felicis mali, quo non præstantius ullum,
 Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
 Auxilium dabit & membris agit atra venena
 Flos adprime tenax: animas & olentia Medi
 Ora sovent illo ac senibus medicantur anhelis.
 Non minor vis est spiritui vitrioli, qui cum M. S. vel tin-
 ctura bezoardico mixtus cum omnibus aliis alexipharma-
 cis, de palma certaverit. Quæ vitriolacea inprimis præ-
 dica-

dicatorem laudum suatum *Mindererum* inveniunt. Nulla
inquit c. 15. de peste, est putredo nulla infectio quam non
 superent, nulla humorum depravatio, quæ per ista non
 superetur. Sane ut liberrime loquar, si mihi vitriolato-
 rum medicamentorum usus vel indiceretur vel inhibere-
 tur, ego ad curationem pestis nunquam vel certe in-
 temeris accederem. Nec alia ratio est, cur M. S. & tinctura
 bezoardica in malignis putridisque morbis tantopere ce-
 lebrentur, quam quod spiritus vitrioli eam ingrediatur.

§. XXXIV.

Atque de præstantia acidorum in peste hæc suffecerint,
 in quorum laudes si plura colligendi animus foret, veren-
 dum est, ne dies atque vox nos deficiat, ideoque ad ce-
 tera præcepta, quibus in curanda peste opus est, depro-
 peramus. Sub primo igitur impetu mali alexipharmaca
 danda & sudor per duas vel tres horas continuandus,
 oportetque simul curam habere, ne adfectus post acce-
 ptum remedium obdormiscat. Commoto sudore con-
 veniunt acidula, in potum detur decoctum C. C. scorz-
 neræ acetos. citri, degustandum etiam subinde vinum
 Rhenanum. *Mindererus* de peste scribit, nisi intra 24. ho-
 ras, posteaquam invasit pestis, alexipharmaca exhibean-
 tur, omnè auxilium nihil plane proficere. Profsunt et-
 iam in peste interpositi pulveres absorbentes terrei, qui
 putredinis vim impediunt. Laudat proinde non imme-
 rito bolum armenicæ *Galenus l. IX. de simplic. med. facult. c.*
6. in magna, inquit, hac peste, cujus eadem hæc facies
 fuit, atque ejus, quæ Thucydidis memoria grassabatur,
 quotquot bolum armenicæ lumpsere celeriter curati sunt.
 At quibus non profuit, omnes interiere, scilicet cum nec
 alio quovis curarentur, unde colligitur, quod iis tan-
 tum non fuerit auxilio, qui plane erant incurabiles, bibitur
 autem ex vino albo consistentia tenui modice dilato, si aut
 plane febris careat aut leviter ea teneatur. Sin. gravius fe-
 briat

briat admodum aqueo. At ubi pestilentielle virus inflammavit interiora, vel certe cepit inflammare nihil presentius nihil æque exultantes spasmos reprimat, quam camphora cum nitro mixta. Incredibile est, quantum hæc medicina ferat adlevamentum, quam potenter furentes spasmos confopiat, unde in delirio & hæmorrhagiis maxime celebratur. Et nitri quidem virtutem in peste multi ex veteribus agnoverunt, iidem tamen ubi camphora accedit, singularis utique medicina emergit, in omni spasmio malignisque morbis commendanda. *Paracelsus* in peste ad sedandum internum ardorem præscribit nitrum hac ratione adhibendum. Recipe salis petreæ drachmam semis aquæ puræ mensuram j. pro potu ordinario. Discutit etiam sitim & anginam ideoque hanc aquam mirifice extollit *Kornhauerus* in febribus putridis ex vermicibus ortis. Idem nitrum par nobilissimum *Medicorum Raygerus* & *Riverius* ille in peste hic etiam in aliis malignis morbis passim laudat, manifesto argumento, huic medicamento in acutis morbis plurimum esse tribuendum. Eademque de causa plurimi non sine fructu pulvere pyrio in peste utuntur, uti *Gieslerus* observ. 44. observavit.

§. XXXIV.

Perspectis igitur jam iis, quæ ad curam pertinent, forma dissertationis nostræ postulare videtur, ut & bubonum ac carbunculorum curam adjiciamus. Quorum quidem tumorum naturam variumque ingenium curare nosse oportet, qui eosdem recte removere concupiscit. Scire enim oportet, an bubo mobilis vel stabilis, an durus vel mollis, an parvus vel magnus, an depressus vel elevatus, an cum inflammatione vel sine ea infederit, quibus exploratis signis ratio varia curandi trahi debet. Quod si enim vagus est, & subinde scrutantium eludit visum, optimum est, deprehenso adfigere cucurbitulam. Constatque de experientia, eos in quibus ejusmodi tumor instabilis adparet,

paret, non tam commoda postea esse fanitate ac ii, in quibus suppurati bubones copiosum pus faniemque effudere, non obscuro indicio, in hisce omne quidem effluxisse venenum, in illis vero aliquas ejus reliquias, quamvis utique tenues residere. Si tumor durus est & duritiei dolor accedit, laxandæ sunt fibræ pinguis & oleosis, ut humores sollicitantur. Iisdem tamen abstinere oportet, si inflammatio adest, quo in casu juvat imponere cataplasma, quod ex farina tritici femine lini sceni græci, floribus sambuc. ficubus vitello ovi croco camphora componitur. Utile etiam est, assatas sub charta bibula cepas vel ficus cum oleo liliorum alborum subinde per diem adplicare, quod etiam contra morsus ictusque animantium venenatorum efficacissimum est remedium. Coqui etiam ex lacte potest cataplasma supra commemoratum. Si jam maturus fuerit bubo, aperiendus est in parte tumoris decliviore & prominentiore, ut pus tanto facilius effundatur. Adulcus autem detergendum elixir proprietatis sine acido cum essentia succini vel balsamo Peruviano mixtum convenit.

§. XXXV.

Eandem fere curam cum desiderent parotides, minus ere fuerit, eam operosius hic persequi, monendum tamen, quod *Riverius* sollertissimo ingenio in sua *praxi* adnotavit, & sanguinis detractionem, & solutiorem subinde alvum curæ adjiciendam. Quod utrumq; quantum præstet in hoc malo, idem laudatus Autor *de febre pestilenti* p. 145. pulchris observationibus adstruit, in quibus liquido demonstrat, in febre maligna epidemica, quæ *Monspeli* anno 1623. ferociter regnabat, cum plerisq; parotides intumescerent, plures ex his principio frustra tentatis multis auxiliis, decessisse, mox cum secutus *Cornel. Celsi* præceptum, multa in præcipiti periculo recte fieri, quæ alioquin essent omittenda, Venæsectionem alvique ductionem adhibuisset, præstantissimis hisce auxiliis plerosque evasisse. Sed ne hisce
im-

inmoremur, placet & furunculorum curationem jam exequi. In qua quidem tria quam maxime ab Chirurgo observari interest, primum ne late nimis serpat carbunculus gangraenæ instar saepe excurrens, deinde ut carbunculus quamprimum separetur, denique ut ulcus bene consolidetur. Minus incommodum est emplastrum, quod constat ex alio sub cineribus affato stercore columbino theriaca & oleo terebinthinæ. Sique calor adest expedit, gallum gallinaceum detractis plumis, vel columbam dissectam item calidos pulmones ovium adplicare, eo nempe consilio ut constrictæ partes blando calore delinitæ pestilenti feminio aditum faciant per aperta cutis spiramenta exeundi. Nam quo mitiora illis remedia adhibentur, eo melior curatio contingit. Quodsi autem sphacelus imminet, spiritum vini camphoratum adjecta theriaca prodest admovere. In eschara vero amolienda efficacissimum est cauterium actuale, nihil etiam præstantius quam ut candenti cultro simul & semel anthrax aduratur, donec adfecti ambustionem sentiant. Cultro insicta vulnera ad radicem usque & centrum carbunculi penetrare debent, unde expeditior escharæ elevatio ejusdemque separatio. Ipsa eschara paulatim laxari debet, butyro recenti inungenda. Et hæc in præsentis de peste sufficient, quamvis & plura adduci possent, nos tamen resectis inutilibus finem hic imponimus, DEO interim pro auxilio, quo diligentibus adfuit, devotas gratias mediantes.

NOBI-

NOBILISSIMO DOMINO

CANDIDATO

S. P. D.

P R Æ S E S.

Medicinam qui venationi comparat, minus absurdum mihi facere videtur, quod in utraq; arte idem studium & industria, par quærendi ac investigandi sudor requiratur. Per nives ac pruinas in saltus montiumque juga rapitur venator, idemque improbo labore excutit cubilibus feras, cum callidis astu, cum audacibus, robore, cum fugacibus certans velocitate. Eadem & convenire medico, qui recte artem exercere cupit, nemo dubitaverit, qui considerat, iisdem fere artibus, quibus feræ, morbos superari. Sunt morbi,

F

bi,

bi, qui altis defixi latibulis scrutantium
 eludunt manus, hos medicus sollerti per-
 fecutus ingenio excitat ac deprehendit. Sunt
 validi ac contumaces, in hoc convertit o-
 mne robur, & neglectis mollioribus ad du-
 riora accedit imperia, in viscera ægrorum li-
 cet reluctante ferro descensurus. Adjice fu-
 gaces illos, qui deprehensi fere elabuntur,
 quos ut adsequaris summa adsit oportet
 prudentia, sagacitas par. Et quid loquar
 de passionibus celeribus, quæ acutæ ad-
 pellari consueverunt, quas nisi suis artibus
 i. e. eadem circumventas celeritate domes,
 celerrime auferunt mox mortem adlatu-
 ræ. Quare qui feliciter aliquando in arte me-
 dica versari vult, is certe ejusmodi artibus
 mature imbuendus est, ut cum tot variis
 morbis vario identidem ingenio scientia-
 que congregiatur. Quod quidem Tibi
 Nobilissime Domine CANDIDATE hactenus
 fuisse curæ, præsens declarat dissertatio, in
 qua cum ingenium celerrimi mali pestis
 nempe, ad cujus triste fere nomen mortales
 expallescent, detexisti, tum qua ratione
 illa

illa vinci possit, admodum dilucide disse-
 ruisti. Qua quidem re non obscurum de-
 didisti indicium, Te præsidia, quibus ad has
 artes pervenitur, non neglexisse. Quare
 cum inclytam Salanam accessisses, per sa-
 tis amplum temporis spatium salutari arti
 operam dedisti, cum summo in ea ver-
 satu studio, & cum Excellentissimorum in
 hisce studiis hominum tum Nobilissimi ac
 solertissimi JOH. JAC. FIKII Philof. ac Med.
 Doctoris Amici nostri singularis usus institu-
 tionē. Quæ omnia tanto exploratiorem
 nobis spem faciunt, talem Te fore, qualem
 sibi patria promittit i.e. ut uberrimos illi fru-
 ctus adferas. Nos interim cum jam in-
 dustræ præmia honores nempe atque or-
 namenta artis nostræ Te expectent, merito
 Tibi gratulamur DEum precantes, ut & por-
 ro hæc studia clementer fortunare, velit
 eademq; humano generi salutaria esse ju-
 beat. Vale.

Nobilissimo Viro
**GUSTAVO BENONI
 MYNSINGERO**

S. P. D.

BERCARD GOTTHELFF STRUVE,
 Professor Historiarum.

Quinquennium est, dum nostram ad-
 res Salanam, fatis in patrio Gymna-
 sio ad academica præparatus. Jactis in
 Philosophia rite fundamentis, aditum Ti-
 bi ad Æsculapii sacra parabant Doctores
 nostri celebratissimi. Hæc autem indies
 magis magisque Tibi patuerunt, ut nunc
 exantlato Pythagorico quinquennio di-
 gnum Te judicarent omnes sacris istis ini-
 tiari. Quoties enim vel inter convictum
 vel inter privatos discursus mihi vel de me-
 dendi arte, vel de chymia, vel de caussis
 mor-

morborum , vel de humani corporis malis
 Tecum colloquendi esset occasio , toties
 talem Te præstitisti , ut quantum profeceris,
 fatis demonstrares. Immo , in id incubuisti ,
 ut ipse medendis corporis adfectibus manus
 curasque adhiberes. Ita præparatus cathedram
 nunc adscendis : fores Tibi aperiuntur ad
 mysteria ; in altiorem gradum eveheris. Lætor
 bonis Tuis , Vir Nobilissime , de iisdemque
 gratulor. Faxit Supremum Numen , ut quos
 capessis honores , consultissimo Patri firmis-
 simum concedant solatium , familiæ ornamen-
 tum , patriæ emolumentum. Ienæ Kl. Octobris
 cccc viii.

VIRO NOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
 DOMINO
**GUSTAVO BENONI
 MYNSINGERO**

Fautori atque Amico suo

S. P. D.

CHRISTIANUS WOEHLINUS,
 SS. Th. & Phil. Cultor
 Althemio-Ulmensis.

Habet profecto virtutis amor proprium illud quafi ac singulare, ut, cum mirabiles profus longe lateque eadem ipsa diffundat sapes suos, mortaliu hominum mentes mirifice ad sese trahat, capiat, immo plane abripiat. Agnoverunt hance virtutis vim atque efficaciam sapientiores etiam gentiliu hominum Cicerones, acutioresque Seneca: comprobant infinitis prope locis omni exceptione majoribus divina oracula: nec contrarium quoque testatur optima reru omnium magistra experientia. Noli putare, VIR NOBILISSIME atque Experientissime, auribus *Tuis* me daturum esse aliquid, si dixeru, indefessum virtutis *Tuae* studiu effecisse unice, ut Magnatibus pariter ac mediocri conditionis hominibus carus existas acceptusque. Nota enim constantissima *Tua* diligentia, debita meditandi assiduitas, non interrupta legendi sribendique ratio, & qua didicisti probe in actum ipsum deducendi alacritas, ceteraque

que virtutum, quæ ad sapientiam ducunt, cohors omnibus ac singulis, qui norunt *Te* intime, nota est. Solent vero virtutum præmia, veluti indivulsi comites nunquam non esse, honores, sive tandem in hoc, sive in illo ævo demum conferantur. Mirum hinc non est, quod, cum *Amice estimatissime*, necessitate temporum nostrorum ita urgente, *Licentiam* limen veluti gradus Doctoralis, omni, qua decebat, observantia, desiderares, honestissimo *Tuo* desiderio academiae nostræ *Antistites* satisfacere non dubitarint. Didicit enim *Fridriciana* nostra debitos honores conferre iis præsertim, quos dignos capacesque eosdem pro virili defendendiprehendit. Gratulor ergo *Tibi*, *Vir nobilissime*, de honoribus brevem post temporis decursum impetrandis, iique ut in dies majora sumantur semper incrementa, exopto. Gratulor *Tuis parentibus*, quos honoris causa appellatos esse volo, qui fructibus curarum suarum ac sumtuum suorum multo uberrimis uti fruique possunt. Gratulor *Patriæ* denique nostræ dulcissimæ, utpote quæ ejusmodi in *Te* virum nacta jam jam est, qui probe cognitum habet atque exploratum, qua ratione miseris, afflictis, ruinantque minantibus temporibus (quæ tamen avertat divina indulgentia) succurrendum sit multo prudentissime. Ceterum ad me quod attinet, meus erga *Te* amor erit manebitque firmus atque incorruptus, & crede mihi, omnia, quæcunque etiam a me & ab amico expectari poterunt, officia habebis paratissima, promptissima. Vale. Dabam Halæ Hermundurorum. Idibus Calendis Octobribus A. O. R. CIO DCC VIII.

Sic

Sicine nunc studium monstras actæ bene vitæ
 Ingeniique *Tui* dotes, mi *Fautor* amande?
 Adscendes etenim cathedram, quo rire loquaris,
 Qua tandem methodo *pestis curanda* maligna.
 Gratulor hinc ergo, lætor, voveoque supremum,
 Ut, quæ cœpisti, mandet *Tibi* pergere fauste.

Hæc in non fucatæ amicitie
 tesseram adjicere voluit de-
 buit

Georgius Ludovicus Nottnagel,
 Medic. Stud. opponens.





Uf 1378

ULB Halle
001 958 240


3



sb

V077





DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

36.
38

METHODUM CURANDI PE- STEM,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA.

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
SUB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,
CONSILIARII & ARCHIATRI REGII, MEDIC.
ET PHIL. NATUR. PROF. PUBL. ORDINAR.
h.t. DECANI

Patroni & Promotoris sui æternum venerandi,
PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia legitime con-
sequendi,

Ad diem Octobr. MDCCVIII.

IN AUDITORIO MAJORI,
horis consuetis

Publico Eruditorum iudicio exponet

GUSTAVUS BENONI MYNSINGERUS,
Ulma-Suevus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Litteris JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.